

De formidinibus Indicis

Juvenis mathematica per unum mensem institutum Indicum Bombae visitavi ubi eo tempore multi mathematici congressi sunt qui in illa provincia quae 'p-adic Hodge theory' appellatur operam dederunt. Iam per aliquot annos me in ea provincia quae difficillima existimabatur gloriam adipisci conata eram; diligenter scripta illius Colmez perscrutata sum, mathematici Galli celeberrimi qui mea sententia ingenio omnes alios mathematicos superabat. Colmez etiam eodem tempore illud institutum visitavit; procul nonnumquam eum salutavi, sed cum eo loqui numquam ausa sum. Denique mihi aliquot argumentis mathematicis eius novo modo uti contigit, et collegae Indi me ad orationem habendam invitaverunt.

Colmez nusquam inter auditores inveniri posse animadvertens animo levato suspiravi: iudicium eius nimis timebam. Investigationibus meis confidens loqui coepi cum subito ianua aperta est: Colmez intravit, auditorium transiit et primo ordine consedit. Pallescens orationem perrexi; manu tremente me timore captam esse patefactum est. Oratione perfecta Colmez me de argumentis meis interrogavit: paucis verbis respondi antequam nausea capta celeriter auditorium reliqui domicilium nostrum petendi causa ut animus et stomachus quiescere possent. Machinam scansoriam exspectans Diis gratias egi quod mihi illam orationem sine calamitatibus maioribus perfecisse contingeret cum repente aliquid non quadrare animadverti: solum marmoreum in colorem nigrum mutatum et circa pedes meos movere animadverti. Incredule totum solum centenis blattis morientibus copertum esse intellexi quae agone mortis captae convulsionibus agebantur. Exhorrescens magno saltu scalas petivi et quam celeriter potui in tabulatum nostrum cucurri ubi taedio capta vomitavi.

Per tres dies morbo stomachi laboravi; cum in lecto cubarem, copias blattarum in locis obscuris domicilii nostri latere mente concepi. Denique satis bene me habui ut cum collegis ad prandium convenirem. Essuriens post illud ieiunium coactum pateram oryzae aggressa sum cum subito magna voce blattam inter grana latere exclamavi. Collegae pateram meam diligenter perscrutantes cachinnum sustulerunt: illa blatta nihil aliud erat quam capsula amomi subulati quae colore nigra et capillis coperta eo insecto satis erat similis.